1578

1578

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ octavâ Novembris, 1706.

M. CLAUDIO DU CERF, Doctore Medico, Præſide.

An Bilis agendi præcipua facultas ab amaro?

QUEM habent uſum in machinis hydraulicis aqua, & in pneumaticis aër, eumdem in corpore humano ſpiritus & humores obtinent. Hi varii ſunt variæque indolis, omnes in ſanguine permixti & confuſi ab eo perenniter ſecernuntur & effluunt in propria vaſa, in ipſa (modò ſint utiles) refluxuri; ut ſuccus pancreaticus, bilis, lympha: nuſquam redituri, ſi prorsùs excrementitii fuerint, qualis urina variique ſucci per arterias meſentericas ad inteſtina delati, unà cum chyli fœce per anum excernendi. In humorum utilium exquiſitâ permixtione & æquabili ad ſe invicem proportione, quam ne conjecturis quidem aſſequi poſſibile eſt, laudabilis temperies conſiſtit; hanc conſequuntur caloris & frigoris, humiditatis & ſiccitatis contemperatio. Cùm ab ejuſmodi exactâ mixtione & legitimâ proportione recedunt, fit intemperies; undè caloris aut frigoris, humiditatis aut ſiccitatis moleſtus exceſſus. Præpoſterè philoſophantur, qui rem ſecùs accipiunt. Non à calore aut frigore, humiditate aut ſiccitate humoribus ineſt inſignis facultas; præcipua vis debetur ſaporibus.

SAPORUM nomine hîc linguæ ſenſus ne intellexeris, ſed cauſas à quibus motu nervorum linguæ excitantur. Hæ ſalia ſunt in humore fuſa, vel oris ſalivâ diſſoluta. Tot ſalia, tot ſapores. Simplicia ſunt vel compoſita. Simplicia duo tantùm; alterum acidum, ὀξὺ Hippocrati; alterum, alkali vocant. Acida ſalia non ſunt unius generis & indolis, omnia cum oppoſitis efferveſcunt, non ſecum invicem, excepto ſpiritu ſalis, qui cum aliis Acidis ebullit. Sal pariter alterum non uniuſmodi eſt, aliud fixum, aliud volatile. Omnia vires acidorum infringunt, ut & ab ipſis infringuntur. Ab eorum ſecum invicem, & cum principiis paſſivis, terrâ ſcilicet & aquâ, variâ mixturâ varii ſapores, in quorum aliis acidum dominatur: ut in ſalſo, auſtero, acerbo, in aliis alterum ipſi oppoſitum, ut in acri & amaro. In Mineralibus, Plantis, Animalibus generatio, corruptio, alteratio, mutationes ferè deniquè omnes horum ſalium miniſterio, dum permiſcentur aut ſecernuntur, efferveſcunt vel concreſcunt, aculeis pungunt vel demulcent lævitate, perficiuntur.

PUTIDUM liquamen, quod in alvi fluxu vel purgantium medicamentorùm vi excernitur, bilis nomine malè inſignitur. Hæc liquor eſt pretioſus in propriis conceptaculis ad ſuos uſus coacervatus, naturâ ſuâ conſtanter amarus. Ex chylo primùm unà cum aliis ſuccis ſanguinem conſtituentibus in corde gignitur. Ad hepar per arteriarum ramulos à cœliacâ productos advehitur, & in eo à ſanguine, cui huc uſque permixta fuerat, ſecernitur. Hoc viſcus quamvis ad ſenſum integrum glandula eſt conglomerata, plurimis conſtans lobulis tenui membranâ involutis & à ſe invicem diſtinctis. Unuſquiſque lobulus ex pluribus compoſitus glanduloſis acinis uvam referre videtur. Ad ſingulos lobulos venæ cavæ, venæ portæ, arteriæque rami, & canalis bilarii radices pari numero diſperguntur. Iſtis lobulis tanquam cribris bilis trajicitur, & in radices canalis bilarii excutitur, indèque in canalem ab hepatis ſubſtantiâ ad veſiculam folliculumve bilis obſcurior via. Quominùs à canali in veſiculam fluat, obſtant valvulæ ejus cervici citrà meatûs cholidochi hiatum appoſitæ. Bilis veſiculæ tenuior eſt, canalis craſſior, utraque communi ductu in jejunum inteſtinum delabitur.

BILIS amaror à plurimo ſale volatili, pauco acido, terrâ, & aquâ, certâ proportione permixtis producitur. Sal volatile dignoſcitur, tum ex ejùs analyſi per ignem factâ, tum ex permixtione cum ſpiritibus acidis, quibuſcum etiam extrà corpus efferveſcit. Paucum ſaltem acidum demonſtrat ſalis volatilis permanſio, quod nuſquam ſolum ſubſiſteret, ſed promptiſſimè in auras evaneſceret. Iſtius acidi exuperantiâ bilis concreſcit, undè lapidum in veſiculâ fellis origo. Si minori fuerit copiâ quàm par eſt, bilis fit acrior & ſubtilior. Ad inteſtinum delata chyloque & ſucco pancreatico permixta pro variâ ſuâ indole efferveſcentiam parit laudabilem vel moleſtam, quam vitæ commoda vel incommoda ſequuntur. Hâc efferveſcentiâ, chyli fœces præcipites aguntur in inteſtina craſſa. Ulteriùs cum chylo ad cor promota bilis iterùm efferveſcit in ejus ventriculis, atque pro amari ſui ſalis naturâ varios producit effectus; hos inter notiſſimus calor, qui juxtà fermentationis modum naturalis eſt vel contrà naturam.

CALOR & frigus in corpore qualitates ſunt omnium minimè potentes; præcipuæ viribus magis inſignes ſunt acidum, amarum, ſalſum, auſterum, acerbum, quorum unumquodque homini ineſt. Quandiù hæc temperata ſunt inter ſe, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt. Ubi horum aliquid ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit, tunc conſpicuum eſt, & hominem lædit. Ex cibis quicumque ingeſti incommodi ſunt, horum unuſquiſque amarus eſt, aut ſalſus, aut acidus, aut acer, aut acerbus, aut quâcumque ſimili ratione intemperatus ac fortis. His ſaporibus in exceſſu poſitis ſalibuſve nocent, non calore aut frigore quæ actu non inſunt, ſed ſalium motum conſequuntur. Falluntur qui propter calidum, hominem febricitare putant; rectè judicant qui propter amarum, acidum, ſalſum, acre. Bilis extrà naturæ ſuæ cancellos poſita calore ſuo non lædit, ſed amarore qui ubi per corpus diffuſus eſt, ſtatim & anxietates, & æſtus, & impotentiæ occupant. Ubi acrior & æruginoſa bilis facta eſt, ſtatim morſus viſcerum & pectoris, rabies & deſperatio.

Ergò Bilis agendi præcipua facultas ab amaro.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Herment, Medicus utriuſque Aulæ Equeſtris Regis ordinarius.
M. Stephanus-Franciſcus Geoffroy, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis & Londinenſis Socius.
M. Franciſcus Aignan.
M. Jacobus Fourneau.
M. Ludovicus-Franciſcus du Tal.
M. Michaël-Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Joannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordin. veteranus.
M. Franciſcus Vezou.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS OLIVARIUS DE CUVILLE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.